



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Diplomatvm Belgicorvm Libri Dvo

Le Mire, Aubert

Brvxellis, 1627

83. Ioanna Constantinopolitana, Flandriae & Hannoniae Comitissa,
monasterium Dominicanorum in vrbe Brugensi fundat ad dotat, an. 1233.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10903

MATHILDIS) domina de Florences, Floenges, seu Florinis,
quod est opidum diœcesis Leodicensis.

IOANNA) domina S. Gobani nupl̄it Enguerramo domino de
Coucy.

C A P V T L X X X I I I .

*Ioanna Constantinopolitana, Flandriæ & Hannonie Comitissa,
monasterium Dominicanorum in urbe Brugensi fundat
ac dotal, an. 1233.*

IOANNA, Flandriæ & Hannonie Comitissa, omnibus præsen-
tes litteras inspecturis salutem.

Nouerint vniuersi, quod pro remedio animæ domini & mariti
nostræ carissimi FERDINANDI, felicis memorie, quondam Flandriæ
& Hannonie Comitis, ac pro nostra salute, diligenter & sollicitè
laborauimus, ut ad ampliandum cultum Domini, & ad profectum
populi, domus Fratrum ordinis Prædicatorum construatur in
Brugis.

Et ad incohationem eiusdem domus de pecunia, quam idem do-
minus Comes in testamento suo assignauit, de consilio & volunta-
te eiusdem executorum testamenti, trecentas libras dabimus, ac
de nostro proprio, Fratribus ibidem mansuris, ad commodum ip-
orum, ædificia quædam construi faciemus.

Rogamusque eosdem venerabiles & carissimos Fratres, quate-
nus orationibus suis pro ipso domino Comite & pro nobis deuotè
ac diligenter orate studeant, tamquam pro fundatoribus sui loci,
& in prædicationibus suis ad populum orationes faciant fieri spe-
ciales.

Nos ergo erga eosdem Fratres semper esse volumus obligatae
specialiter, omnesque homines & fideles nostros affectuosè roga-
mus, vt sæpè dictos Fratres velint diligere, & in suis negotijs ac
necessitatibus adiuuare: scientes quod quidquid ipsis facient, re-
putabimus nobis factum.

Datum Insulæ, feria quinta post Epiphaniam, anno Do mini 1233.
millesimo ducentesimo tricesimo tertio.

C c c 2

NOTA,

NOTATIO.

Dotem monasterij Brugensis iam dicti auxit MARGARITA, Ioannis soror & heres, amplissimo ædificio pro infirmis, à fundamentis excitato, cum facello adiuncto: quæ etiamnum exstant. In isto cœnobio, infra annorum XXXII. spatium, bis Capitulum generale, videlicet an. 1336. & 1369. fuit celebratum: quod nusquam alibi factum leges, si Romam exceperis.

Ceterum in Belgicis prouincijs conuentus isti Dominicanorum hodie numerantur: Louaniensis, Antuerpiensis cum Vicariatu Lirano, Siluiducensis, Bruxellensis cum Vicariatu Vifordiano, Traiectensis ad Mosam cum Vicariatu Sittardiano, Gandensis, Brugensis, Ippensis, Winoci-bergensis, Insulensis cum Vicariatu Lileiensi, Duacensis, Tornacensis, Atrebatenensis, Audomaropolitanus, Valentianensis, Montensis, Braniensis, & Luxemburgensis.

Dominicanarum monialium sunt ista apud Belgas cœnobia: Vallis-Ducissa, vulgo *Audergem*, primo lapide à Bruxella; Vallis Angelorum, olim extra, nunc in vrbe Brugensi; Abbatiola, vulgo *l'Abiette*, in vrbe Insulensi; Tegularia, vernaculè *La Thulloye*, ad muros vrbis Atrebatenensis; Bellomontanum cœnobium in vrbe Valentianensi, Audomaropolitanum, Tamisiense in Wasia, Duace se, Antuerpiense & Ruremundense.

CAPUT LXXXIV.

Balduinus, heres Imperij Constantinopolitani, Marchio Namucensis & dominus Curtiniaci, prædia ac silvas ab Henrico fratre attributas monasterio Grandi-pratensi, confirmat an. 1237.

NOs BALDVINVS, heres Imperij Romanie, Comes & Marchio Namucensis, & dominus Curtiniaci, notum facio omnibus præsentes litteras inspecturis, quod nos fratribus de Villari, Cisterciensis ordinis, Leodiensis diœcesis, pro commutatione à nobis ipsis facta, super possessionibus, quas ipsi ultra Mosam tenebant apud Troncourt, Burchis & Grande-pratum, cum suis appenditijs, & pro